

# EPISTULA LEONINA XXXIV

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLA OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

***EN HABES EPISTULAM LEONINAM TRICESIMAM QUARTAM !***

## **ARGUMENTA**

**SENTENTIOLA CATONIS – MYTHI GRAECORUM (XX): Argonautarum pericula alia – FABELLA GRIMMIANA: De Pollicino – PROBATOLOGIA SIVE HISTORIA OVIVM – VOCABULA DOMESTICA (III) – ECHUS VOCES EPISTULAE.**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LINGUAM LATINAM  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

**Cara Lectrix, Care Lector,**

*gaudeo, quod fieri potest, ut Tibi offeram Epistulam Leoninam tricesimam quartam necnon gaudeo, quod Epistulae nostrae Leoninae nuper laudatae sunt ab auctore periodici palaeophilologici, cuius nomen est FORUM CLASSICUM. (En lege et congaude Leoni Latino : 1/ 2010, p.79 in situ interretiali, qui est hac inscriptione: [http://www.altphilologenverband.de/index.php?option=com\\_wrapper&view=wrapper&Itemid=40](http://www.altphilologenverband.de/index.php?option=com_wrapper&view=wrapper&Itemid=40)*

*Fortasse iam pridem desideras RECITATORIS (»Der Vorleser«) et CRABATI (»Krabat«) partes sequentes. At Leoni Latino in animo est has versiones completas libris typis impressis publici iuris facere: Bene sperat Recitatorem editum iri aestate, Crabatum hieme. Ergo exspectes, quaeso, paulisper.*


*Interim autem fruere temporis vernalis amoenitate: Iam Maius advenit, virescunt arbores, florescunt flores. Iuvat vivere!*

*Pancretice vale et perge nobis favere. Medullitus Te salutat Senden ex oppido Bavariae Suebicae*

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>


d.Lunae, 3.<sup>o</sup> m.Maii, a.2010



**REM TENE:**  
**VERBA SEQUENTUR.**  
**CATO MAIOR**  
**(234-149 a.Chr.n.)**

## MYTHI GRAECORUM (XX): Argonautarum pericula alia.

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati,  
a Nicolao Groß Latinê redditi.



Nunc heroes iter perrexerunt varia pericula subituri. In itinere Tiphys gubernator fidelis in morbum incidit et mortuus sepeliendus fuit in litore alieno. Loco eiusdem illi eum heroem elegerunt, qui gubernaculi erat peritissimus. Qui Ancaeus appellatus diu recusabat, ne susciperet hoc negotium difficile, usque dum Iuno dea ei indidit animum et confidentiam. Deinde autem ad gubernaculum adstitit et navem tam bene gubernavit, ut ipse Tiphys adhuc gubernaculo assidere videretur. Ancaeo duce die duodecimo ancoris solutis mox vélis plenis venerunt ad ostium Callichori fluminis; hīc in colle vidérunt sepulchrum Stheneli, qui unā cum Hercule ad bellum Amázōnum profectus hōc loco sagitta ictus in litore maris fatis concesserat. Argonautae iter perrecturi erant, cum apparuit umbra misera huius herōis, qui a Persephonā ex orco dimissus viros sibi agnatos desiderio flagrans aspectabat. In summo tumulo stabat eā formā, qua in proelium erat profectus: crista purpurea quattuor pennis

pulchris instructa de eius casside fluitabat. At Sthenelus per pauca tantum momenta temporis spectatus mox abyssō nigrā submersus est. Herōes territi remos demisērunt. Solus Mopsus vates animae defunctae desiderium intellexit: Qui sodalibus suasit, ut animum viri occisi luerent libatione. Celeriter vela subduxérunt, navem in litore alligavérunt, circa tumulum constituti libavérunt ovesque mactatas combussérunt. Itinere perrecto denique attigérunt ad fluminis Thermodontis ostium. Huic flumini in terrā simile erat nullum alliud: quod uno ex fonte in montibus extremis exortum mox in multitudinem bracchiorum minorum divisum tot effluviis in mare incurrebat, ut quattuor tantum pauciora essent quam centum. Quae more serpentium borrientia in mare apertum infundebantur. Ad effluvium autem omnium latissimum habitabant Amâzônes. Hic populus mulierum, cum ortus esset e deo Marte, amabat opera bellica. Dubium non est, quin Argonautae, si hanc terram Amâzônum appulissent, futurum esset, ut incidenter in bellum cum istis mulieribus gerendum, nam eaedem pugnantes pares erant herôibus vel fortissimis. Quae non habitabant urbe unitae, sed ruri dissipatae et in singulas gentes disunctae. Zephyro secundo Argonautae a populo viraginum bellico remoti sunt. Itinere diei noctisque facto, ut a Phineo sibi praedictum erat, venérunt ad terram Chálybum. Qui non tellurem arabant, nullas arbores fructiferas serebant, nullos greges in prato rorido pascebant, sed nihil faciebant nisi aes et ferrum e sólo aspero fodiebant et pro iisdem permutabant victualia. Sol illis non oriebatur nisi laborabant durissimê, diem degebant in tenebris nigerrimis fumoque densissimo.

Praeterveniebant nonnullas gentes alias. Cum adversi essent insulae, quae appellabatur Aretia sive Insula Martis, avis huius insulae incola, alis vegetê vibrantibus iisdem obvolavit. Eadem avis supra navem volitans alas quassans pennam acutam deiēcit, quae umero herôis Oilei inhaerêret. Heros autem vulneratus gubernaculum omisit; sodales mirati sunt telum alatum aspicientes illius umero infixum. Is, qui proximê sedebat, pennâ extractâ vulnus obligavit. Mox altera avis apparuit; quam volantem Clytios, qui arcum iam tenebat tentum, iaculatus est volantem, ut icta decideret medium in navem. »Licet insula sit propinqua«, Amphidamas, heros peritus inquit »at nolite illis avibus confidere. Certê earum tanta est multitudo, ut, si navem ad insulam appelleremus, futurum esset, ut nobis sagittae non sufficerent ad omnes feriendas. Inveniamus rationem, qua fugemus istas bestias bellicosas. Imponite omnes cassides vestras, quae altis cristis nutantibus sunt instructae; deinde invicem dimidiā partem remigate, alteram dimidiā navem ornate hastis micantibus scutisque. Tum clamores tollamus horribiles; si aves hos audiverint, praeterea cristas circumvallantes, hastas horrentes, scuta fulgentia viderint, territae avolabunt.« Hoc propositum heroibus cum placeret, omnia facta sunt, ut Amphidamas illis suaserat. Nulla avis

apparuit, dum ad insulam remigabant; cum autem herôes insulae appropinquantes scutis streperent, aves innumerabiles territae e litore fugâ rapidissimâ super naves evolavêrunt. At ut foriculae domesticae grandine imminente clauduntur, ita herôes scutis se obtexerant, ne pennae aculeatae decidentes sibi nocerent; aves ipsae, Stymphalides horribiles, trans mare volavêrunt ad litora remotissima. Argonautae autem consilium Phinei rôgis vaticinati secuti navem ad hanc insulam appulêrunt.

Hac in insulâ incisi erant in amicos atque comites, quos non exspectaverant. Nam vix gradûs priores in litore fecerant, cum incidêrunt in quattuor iuvenes naufragium passos omni vestitu denudatos. Unus ex illis herôibus appropinquantibus occurrit eosque allocutus est: »Quicumque estis«, inquit, »viri boni, adiuvate naufragos miserrimos! Date nobis vestimenta, ut corpora velemus, et cibos, ut famem expleamus!«. Iason omne auxilium comiter pollicitus ex illis quaesivit, cuius nominis cuiusque gentis essent. Iuvenis respondit: »Nonne audivistis de Phrixo, filio Athamae, qui vellus aureum Colchidem portavit? Rex Aeêtës ei coniugem dedit filiam natu maximam, nos sumus eius filii, et ego vocor Argus. Phrixus pater noster brevi ante mortuus est. Patris voluntatem ultimam expleturi navem concendimus, ut thesauros, quos reliquerat in urbe Orchomeno, nobiscum afferremus«. Heroibus summè gaudentibus Iason illos salutavit consobrinos; nam avi Athamas et Cretheus unus alterius frater fuerant. Porro iuvenes narravêrunt, quomodo nave suâ ventis saevientibus diffractâ sôlo ligno adacti essent ad hanc insulam incultam. At iuvenes ab herôibus de incepto certiores facti et moniti, ut periculi participes fierent, non dissimulavêrunt se horrere. »Aeêtës avus noster est vir crudelis, qui dicitur esse filius Solis ideoque vi praeditus esse divinâ; qui dominatur gentibus Colchorum innumeris, vellus autem custoditur a dracone horribili.« His auditis nonnulli herôes palluêrunt. At Peleus, unus ex iis, surrexit et: »Ne credas« inquit »necessè esse, ut nos evadamus rôgi Colchorum inferiores; nos quoque sumus filii deorum! Nisi nobis vellus dederit benevolê, tamen nos istîus Colchis eripiemos!« Sic inter se diutius loquebantur opiparê cenantes.

Postridie mâne filii Phixi vestiti et saturati unâ cum Argonautis navem concendêrunt et profecti sunt. Cum per diem noctemque remigassent, summos montes Caucasi conspexérunt supra maris aequora eminentes. Primo crepusculo aliquid audivêrunt supra capita sua strepens: aquila enim Promethei praedam capture trans navem volitabat in magnâ altitudine; tamen eius alae tantâ cum vi pulsabantur, ut iisdem omnia vela moverentur tamquam vento inflata. Nam illa avis ingens aerem propulsabat tamquam vélis magnis. Brevi post e procul audivêrunt

Prometheum gementem, cuius iecur avis iam perfoderet. Aliquamdiu post gemitūs audiri desiti sunt et herōes aquilam vidērunt per aera revolantem.

Eādem nocte ad locum destinatum pervenērunt et in ostium Phasis fluminis. Laetē in antemnas enixi armamenta dempsērunt; deinde navem remis egērunt in alveum latum fluminis, cuius undae molem vehiculi ingentem videbantur reverēri. A sinistris videbant altum Caucasum et Cythaeam caput Colchidis; a dextris campus et lucus sanctus Martis expandebantur, ubi draco vellus aureum, quod e ramis foliosis quercūs altae pendebat, oculis acribus custodiebat. Nunc Iason in latere navigii surrexit, manu altā poculum vini aureum vibravit, flumini et matri Telluri et deis terrae et herōibus in itinere mortuis libationem obtulit. Omnes rogavit, ut sibi adessent caro auxilio et servarent funes navigii, quod modo erant alligaturi. »Ita factum est« Ancaeus gubernator inquit »ut feliciter perveniremus ad terram Colchicam. Nunc tempus est graviter consulere, utrum regem Aeētem comiter adeamus an ullā ratione aliā inceptum nostrum ad effectum adducamus.« »Cras« vocavērunt herōes fatigati. Itaque Iason imperavit, ut navem constituerent in fluminis sinu umbroso. Omnes suaviter cubitum iērunt, sed breviter tantum recreati sunt, nam mox ab Aurorā oculi eorum aperti sunt.

### **Iasonem in palatio Aeētae versatum esse**

Primā luce herōes congregati sunt ad consilium habendum. Iason surrexit et locutus est: »Si placet vobis, herōes atque sodales, sententia mea, vos ceteri omnes quieti, sed arma manu tenentes, in nave remaneatis; nemo nisi ego filiique Phixi et duo vestrum proficiscēmur ad palatium rēgis Aeētae. Hic conabor assequi rem desideratam; primo illum verbis urbanis rogabo, num vellus aureum nobis benignē permittat. Non dubito quin ille nos rogantes potestatis suae conscius recusaturus sit. At nos hōc modo verbis ex illīus ipsius ore auditis pro certo habebimus, quidnam nobis faciendum sit. Nam nemo certo scit, num verbis nostris illi persuasuri simus. Nonne idem prius oratione eo adductus est, ut Phrixum innocentem, qui novercam suam fugerat, hospitio acciperet?« Herōes iuvenes omnes verba Iasonis comprobavērunt. Itaque idem cādūceo Mercurii comprehenso cum Phixi filiis et Telamone Augiāque sodalibus navem relīquit. Viri campum intravērunt salicibus obsitum, qui vocabatur Circaeus; ibi horrore perfusi multitudinem cadaverum conspērunt, quae catenis erant suspensa. At eadem non erant corpora sceleratorum aut peregrinorum interfectorum; in Colchide nefas erat viros comburere aut in humum infodere, sed mos erat virorum corpora mortua crudis taurorum pellibus vestita ex arboribus

suspendere, ab urbe remota, ut aëre exarescerent. Mulieres tantum, ne quid tellus haberet incommodi, in eandem infodiebantur.

Colchi erant populus numerosus. Ne Iason eiusque comites illis et rēge Aeêtā periclitarentur, Hera Argonautarum tutrix, dum iidem ibant, urbem nube nebulae densâ circumvelavit neque prius dissipavit quam herōes palatium rēgis feliciter advenērunt. Tum in propatulo stantes admirabantur muros domūs regiae crassos, portas altis ornamenti caudatis instructas, columnas ingentes, quae hīc illīc e muris procedebant. Totum aedificium cinctum erat lapideo cymatio prominente, quod instructum erat triglyphis aeneis. Herōes tacentes limen propatuli sunt transgressi. Hoc circumsaeptum erat altīs pampinorum trichilīs viridibus, sub quibus quattuor silani bulliebant perennes: unus in altum eiciebat lac, alter vinum, tertium oleum fragrans, quartum aquam, quae hieme erat calida, aestate praegelida. Quae opera pretiosissima confecta erant a Vulcano artificio. Idem possessori confecerat etiam simulacra taurorum aenea, e quorum ore emanabat horribilis spiritus igneus, et aratum merē ferreum: haec omnia fecerat patris Aeêtae, Solis gratiâ, qui olim in proelio gigantum Vulcanum in currum suum allatum servavisset: Ex hōc propatulo perveniebatur ad porticum aulae mediae, quae a dextris et a sinistris et post quam spectabantur multi introitūs et cubicula. Ex transverso stabant duo palatia principalia, in quorum altero rex Aeêtes ipse, in altero eius filius Absyrtus habitabat. Cetera conclavia inhabitabantur ab ancillis et a rēgis filiabus, Chalcopâ et Medêâ. Medêa, filia minor natu, alioquin raro spectabatur; ferē totum tempus degebatur in templo Hecatae, cuius erat sacerdos. At hōc tempore luno, dea Graecorum tutrix, Medêae mentem dederat, ut manēret in palatio. Quae palatium modo relîquerat et petebat cubiculum sororis, cum subito incidit in herōes ingredientes. Viris magnificis aspectis clamorem edidit magnum. Hōc auditio Chalciope cum omnibus ancillis e cubiculo suo se proripuit. Etiam haec soror magnum edidit iubilum et gratias agens manūs ad caelum porrexit; nam cognovit quattuor iuvenes herōes esse filios suos proprios, filios Phixi. Qui matris manibus excepti sunt, et diu neque desiérunt salutare neque lacrimare.



Evelyn de Morgan (1855-1919): Medea.

**MYTHUM ARGONAUTARUM  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS  
NICOLAUS GROSS  
<http://www.leolatinus.com/>**

Fratres Grimmiani

## De Pollicîno

Erat agricola pauper, qui aliquando vespere apud focum sedens ignemque excitans uxori sedenti atque nenti dixit haec: »eheu quam triste est, quod nobis non sunt liberi! Apud nos cum sit vastum silentium, in aliis domibus est sonora hilaritas«. »Ita est«, uxor gemens respondit, »etsi esset unus solus infantulus, etsi esset perpusillus, pollicis parvitate, iam essem contenta; nos illum tamen ex intimo corde diligeremus.« Nunc factum est, ut mulier incideret in morbum et septem mensibus transactis pareret infantem, qui omnibus membris quidem erat perfectus, sed non longior erat pollice. Tum dixerunt: «Hic est talis, qualem exoptavimus, et sit infans noster carus», et eundem ratione formae vocavérunt *Pollicînum*. Infantem bene cibaverunt, tamen is non crescebat, sed manebat tantus, quantus fuerat horâ vitae primâ; sed oculis erat prudentibus et mox se praestabat homuncionem sagacem et habilem, cui omnia, quae incohabant, bene succederent.



Aliquando agricola in silvam iturus arboresque caesurus erat; cum mussitavit »nunc velim aliquis adsit, qui currum post me vehat«. »O pater«, Pollicînus vocavit, »currum adveham, crede mihi, qui horâ certâ erit in silvâ.« Tum vir ridens: »Qui« inquit »hoc fiat, multo minor es, quam ut equum habenis regas«. »Hoc non rôfert, pater, dummodo mater equos adiungat, euidem auri equi insidam eique acclamabo, quomodo gradiendum sit.« »Bene«, pater respondit, »semel conêmur.« Hora cum veniret, mater equum currui adiunxit Pollicînumque equi in aurem imposuit: tum pumilio clamans explicavit, quomodo equo gradiendum esset, »î et iô! hot et har!« Pollicînus hoc fecit aptissimê, tam bene quam vecturarius peritus, et vehiculum rectâ viâ promotum est ad silvam. Curru autem angulum circumvehente et pumilione »har, har!« clamante, factum est, ut advenirent duo viri peregrini. »Babae«, unus inquit, »quid est hoc? Ibi currus vehitur, vecturarius equo acclâmat, sed non appâret.« »Istud«, alter inquit, »naturae modum excêdit. Carrum sequamur, ut videamus, ubi sistat.« Currus autem vectus est in silvam et rectâ viâ ad illum locum, ubi arbores caedebantur. Pollicînus, cum patrem aspiceret, ei acclamavit: „Viden‘, Atta, adsum cum curru, nunc me deferas“. Pater autem comprehendit equum manu sinistrâ, dextrâ filium ex aure detulit, qui perquam hilariter consêdit in culmo stramenti. Duo viri autem illi alieni Pollicînum cum aspicerent, tam stupefacti sunt, ut nescirent, quid dicerent. Tum unus alteri seducto dixit: »audi, nescio an hôc pumilione usi divites fiamus, si hunc in aliquâ urbe magnâ ostentaverimus pro pecuniâ: eum emamus«. Ad agricolam adiérunt et dixérunt: »vende nobis virunculum, qui apud nos bene se habebit«. »Nequaquam«, pater respondit, »qui est corculum meum, eum non vendam, etsi omne aurum mundi præbueris.« Pollicînus autem, cum de hôc commercio audiret, per plicas vestis paternae rôpendo ascendit, constitit in umero patris eidemque susurravit in aurem: »Pater, licet me illis tradas, mox ad te redibo«. Tum pater eum illis viris tradidit bellulâ summâ pecuniae datâ. »Ubi vis sedêre?« illi Pollicînum allocuti sunt. »Ah, me cólloca in margine petasi tui, ibi potero huc et illuc ambulare et regionem aspectare, tamen non decidam.«

Illi hoc concessérunt et postquam Pollicînus patri valedixit, cum eo profecti sunt. Sic ibant, dum advesperavit, tum pumilus: »me deferte, necesse est.« »Licet maneas supra«, dixit vir, in cuius capite Pollicînus sedebat, »hoc flocci faciam, aves quoque interdum petaso aliquid sinant incidere.« »Nequaquam«, Pollicînus inquit, »ego quoque scio, quid deceat: facite ut me deferatis quam celerrime.«



Tum vir petasum depositum pumilumque agro imposuit iuxta viam sito; deinde Pollicinus inter glaebas huc illuc prosiliebat et repebat et subito in muris cavernulam illapsus est, quem sibi exquisiverat. »Bonum vesperum, Domini honorabiles, licet domum abeatis sine me«, illos acclamans irrigit. Qui accurrerunt baculisque cavernam muris pungebant, sed hoc frustra faciebant, cum Pollicinus etiam etiamque in cavernam progrediebatur; cum autem tenebrae essent obortuae, viri non potuerunt, quin marsupio vacuefacto stomachantes domum remigrarent.

Pollicinus autem cum animadverteret illos abiisse, e cuniculo subterraneo erepsit. »Hic in agro tenebroso«, inquit, »periculosest ire: quam facile fit, ut mihi frangantur et crus et collum!« Feliciter accidit, ut Pollicinus incideret in testam cochleae vacuam. »Deum laudo«, inquit, »quod hic noctem degam securum«, et in testa se collocavit.



Brevi post, cum modo erat obdormitus, audivit duos viros praetereuntes, quorum unus: »Quomodo faciamus, ut parocho diviti auferamus pecuniam et argentum?« »Hoc tibi dicam«, Pollicînus interpellavit. »Quid hoc fuit?« unus e furibus dixit territus, »audivi aliquem loquentem.« Constitêrunt et audivêrunt, tum Pollicînus locutus est: »Si me vobiscum abstuleritis, vos adiuvabo«. »Ubinam es?« »Quaerite me humi et audite, unde veniat vox«, Pollicînus respondit. Tum tandem fures eum invenêrunt et sustulêrunt. »Tu pumile, quomodo tu nos adiuvabis!« dixerunt. »Videte«, Pollicînus inquit, »inter crates ferreas râpam in cubiculum parochi et vobis êgeram, quaecumque habere volueritis.« »Agedum«, inquiunt, »videamus, quid possis.« Cum domum parochi advenissent, Pollicînus cubiculum irrepsit, sed summâ vi clamavit »vultisne omnia habere, quae hîc sunt?« Fures territi dixêrunt »Fac loquaris submissê, ne quis expergiscat«. At Pollicînus illos non intellexisse simulans denuo clamavit: »Quid vultis? Vultisne omnia habere, quae hîc sunt?« His auditis coqua, quae dormiebat in cubiculo iuxta sito, in lecto surrexit et aures arrexit. Fures autem territi per aliquantum viae recurrerant, tandem animo recepto cogitaverunt: »iste pumilio nos cavillatur«, revenêrunt et illi susurrawêrunt »nunc desine iocari et foras porrige nobis aliquid«. Tum Pollicînus tertio clamavit voce quam maximâ, »Omnia vobis dabo, dummodo manûs indatis«. Haec ancilla auscultans perquam distinctê intellexit, e lecto prosiluit, per ianuam caespitos intravit. Tum fures fugâ salutem petiverunt tam rapidê currentes quasi incursarentur a venatore saevissimo: ancilla autem, cum

nihil posset animadvertere, abiit lucernam accensura. Lucernâ allatâ cum ancilla adveniret, Pollicînus invîsus foras abiit in fenile: ancilla autem, cum omnes angulos perquisivisset, sed nihil invenisset, denique in lectum recubuit et credidit se oculis auribusque apertis somniasse.

Pollicînus autem per culmulos feni reptans pulchrum locum invenerat dormiendi: ibi voluit dormire, dum dilucesceret, deinde domum redire ad parentes. At alias res expertus est! Eheu multa est miseria et tribulatio in mundo! Primâ luce ancilla, ut solebat, e lecto surrexit pecudes pastura. Primo iit in fenile, ubi aliquantum arripuit feni; quod fuit ipsum illud fenum, in quo dormiebat Pollicînus miserrimus. At tam artê dormiebat, ut nihil animadverteret nec prius expurgiceret quam esset in rostro vaccae, quae eum cum feno arreptum degluttiverat.



»Bone Deus«, clamavit, »quomodo incidi in pistrînum!« sed mox animadvertisit, ubi esset. Tum ei cavendum fuit, ne dentibus intercideret et contunderetur, at tamen delapsus est in stomachum. »In hac cellulâ«, inquit, »desunt fenestrae nec sol illucet: lumen non inveniam!« Generaliter haec mansio Pollicîno displicuit, et pessimum erat plus plusque feni novi importari, ut locus magis magisque diminueretur. Tum Pollicînus pavore inductus voce quam maximâ: »Desinite afferre pabulum, iam iam desinite«. Ancilla autem modo vaccam mulgebat, cum subito audivit aliquem loqui invîsum eundemque eâdem voce, quam audiverat nocte, tam vehementer territa est, ut de sellulâ delapsa lac profunderet. Quae rapidissimè ad dominum suum cucurrit et: »Bone Deus, Domine paroche, vacca locuta est«. »Deliras«, parochus respondit, sed ipse in stabulum iit visum, quid ibi fieret. At vix parochus pedem in stabulo constiterat, Pollicînus iterum clamavit »Desinite afferre pabulum«. Tum parochus ipse territus putavit spiritum malum clamavisse et iussit vaccam necare. Tum eadem mactata est, stomachus autem, cui inerat Pollicînus, projectus est in sterquilinum. Pollicînus conabatur pervadere et valdê laborabat, sed tandem id ei contigit, ut locum inveniret vacuum, at, cum modo caput suum erat erecturus, imminuit

novum infortunium. Nam lupus famelicus praeter sterquilinium saliens totum stomachum uno haustu degluttivit. Sed Pollicinus animo non demisso: »fortasse«, cogitavit, »fieri poterit, ut cum lupo colloquar«, et illi e ventre acclamavit: »Care lupe, ego scio, ubi sit cena tibi sapidissima«. »Ubinam hanc inveniam?« lupus dixit. »In illâ domo, in quam tibi per fusorium si irrepseris, invenies placentae, lardi, farciminis tantam copiam, quantam comedere voles«. Nunc autem Pollicinus lupo descriptsit domum parentium suorum ipsissimam. Hôc audito lupus cupidissimus nocte per fusorium irrepsit et in cellâ penariâ cibos devoravit libentissimê. Îdem saturatus voluit abire, sed crassior factus erat, quam ut eâdem viâ foras exiret. Pollicinus, qui hoc factum iri computaverat, nunc coepit in ventre lupi strepitum facere ingentem, furebat et clamabat quam vehementissimê. »Quiesce«, lupus inquit, »ne homines exergiscantur.« »Nequaquam«, pumilio respondit, »tu cibo saburratus es, ego quoque volo laetari«, et denuo coepit summâ vi clamare. Ideo tandem pater eius materque exergefacti ad cellam cucurrerunt et per rimam inspexerunt. Cum viderent lupum intra versari, properè abscesserunt; vir asciam attulit, mulier falcastrum. »Manê ibi«, vir inquit ambobus cellam intrantibus, »si istum cecidero îdemque nondum mortuus erit, necesse erit, ut tu ipsa istum caedas istiusque corpus disseces.« Tum Pollicinus voce patris auditâ vocavit: »Care pater, ego hîc sum, sum in ventre lupi. Deinde pater gaudio completus »Deum laudo, quod puer noster carissimus repertus est«, et iussit uxorem falcastrum auferre, ne Pollicinus laederetur. Postea lacerto vibrato lupi caput asciâ tam vehementer impulit, ut is mortuus prosterneretur: Deinde cultro atque forcice quaesitis, ventre lupi dissecto filium suum parvulum extraxerunt. »Eheu«, pater inquit, »quantum sollicitati sumus de te!« »Heus pater, diu per mundum migravi; Deo gratias ago, quod nunc respiro aerem recentem.« »Ubinam fuisti?« »Heus pater, fui in cavernâ muris, in stomacho vaccae, in ventre lupi: At nunc manebo apud vos.« »At nos te non iam vendêmus, etsi oblati erunt omnes thesauri mundi.« Tum parentes amplexabantur et exosculabantur Pollicinum suum carissimum, eique dedérunt esculenta et potulenta, et curaverunt ei nova vestimenta facienda, nam sua in itinere erant detrita.

**Hanc fabulam Grimmianam  
e theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

# **PROBATOLOGIA SIVE HISTORIA OVIUM (I)**



**ECCE GREX OVIUM, QUIBUS INTEREST FAMOSISSIMA ILLA  
»OVIS NIGRA«.**

# DE OVE DOMESTICA

Symbola Anglicê scripta e Wikipediâ, liberâ encyclopediâ excerpta et Latinê reddita.



Grex ovium experimentalis, qui versatur in Statione Ovium Experimentalali (*U.S. Sheep Experiment Station*). Quae statio sita est prope urbem *Dubois*, quae spectat ad Civitatem *Idaho*.

## CLASSIFICATIO SYSTEMATICA

|             |                        |
|-------------|------------------------|
| Regnum:     | Animalia               |
| Phylum:     | Chordata               |
| Classis:    | Mammalia               |
| Ordo:       | Artiodactyla           |
| Familia:    | Bovidae                |
| Subfamilia: | Caprinae               |
| Genus:      | Ovis                   |
| Species:    | <b><i>O. aries</i></b> |

### Nomen binominale

***Ovis aries***

Linnaeus, 1758

**Oves domesticae** (quarum nomen scientificum est ***Ovis aries***) sunt animalia mammalia quadrupedia et ruminantia, quae solent coliggregatim. Sicut omnia mammalia ruminantia, oves spectant ad ordinem Artiodactylorum, qui contrarius est ordini Perissodactylorum. Oves domesticae numero cum sint unius ferē miliardae, species sunt generis sui omnium numerosissima.

Verisimile est ovem genus suum ducere a fero **mūsimōne** sive **mūsmōne**, qui vivit in Europā et Asiā. Ovis est una ex bestiis maturimē cicuratis ad usum agriculturae; quae colitur ad lanam et carnem et lac accipendum aut ad investigationem scientificam. Lana ovina est lana bestiaria omnium, quae maximē adhibetur et solet accipi tondendo. Comeditur et caro agnorum et ovium adultarum, praecipuē vervēcum, i.e. arietum castratorum.

Fetura ovium fit in plerisque terris mundi inhabitatis multisque in societatibus fuit maximi momenti. Aetate modernā Australia et Neozelandia et nationes Americae meridionalis nationes australes et mediae et Insulae Britannicae maximē tractant \*oviculturam.

In feturā ovium adhiberi solent multi termini technici peculiares, qui pro regione et dialecto magnae sunt varietatis. Verbum *sheep* inceptum est adhiberi in sermone meso-anglico et dicitur a verbo palaeo-anglico, quod est *scēap*; haec forma spectat ad utrumque numerum, i.e. et ad singularem et ad pluralem. Grex ovium Anglicē dicitur *flock* aut *herd* aut *mob*. Oves feminae adultae Anglicē appellantur *ewes*, mares integri (arietes) *rams* aut interdum *tups*, oves mares castrati (vervēces) *wethers* et oves iuniores (agni) *lambs*. Multi alii termini technici sunt, qui pertineant ad agnos pariendos, ad pellem tondendam, ad aetatem.

Ovis ad historiam agriculturae et cultūs civilis maximē cum valeat, multa nomina et symbola spectant ad hoc animal. Idem saepe refert ad imagines pastōrum et idylliorum Arcadianorum. Oves inveniuntur in multis mythis, velut in mytho Velleris aurei, et in religionibus maioribus, praesertim Abrahamicis. In ritibus sacrificiorum antiquis et modernis oves habentur pro victimis.

## **Argumenta**

### 1. Descriptio

#### 1.1 Consemnia ovium

### 2. Nutritio

### 3 Mores et intelligentia

### 4 Prolis propagatio

### 5 Valetudo

#### 5.1 Praedatio

### 6 Historia

#### 6.1 Africana

#### 6.2 Europaea

#### 6.3 Americana

##### 6.3.1 Boreo-Americanana

##### 6.3.2 Austro-Americanana

##### 6.3.3 Australiana et Neo-Zelandica

### 7 Quantum valeat ad oeconomiam

### 8 Usus carnis

9 Usus scientificus

10 Quantum valeat ad cultum civilem

10.1 – ad religionem et artem popularem

### 1. Descriptio



**Calvaria ovina**

Oves domesticae sunt animalia ruminantia relativē parva, plerumque instructae sunt capillis crassis, quae dicuntur lana, et saepe cornibus, quae sunt laterali formā spirali. Oves domesticae a feris cognatis suis ascendentibus differunt nonnullis rationibus, quae effectae sunt homine moderante.<sup>[1][2]</sup> Nonnulla ovium consemnia primitiva adhuc retinent quasdam proprietates ascendentium ferarum, velut caudas breviores. Pro consemnio oves domesticae aut vacant a cornibus aut sunt cornutae in utrōque sexu (sicut oves ferae) aut sōlīs in maribus (arietibus). Pleraque consemnia cornuta instructa sunt pari cornuum singulari, sed nonnulla habent cornua plura.<sup>[3]</sup>

Alia nota domesticae tantum ovi propria est eius colorum variabilitas, si comparas cum ovibus feris. Pelles ovium ferarum plerumque sunt colore fusco, qui parum variatur. E contra pelles ovium domesticarum variantur inter colorem purē album et obscurē \*socolateum, immo sunt interdum punctatae aut variegatae.<sup>[4][5]</sup> In ove \*domesticandā maturē selectae sunt vellera alba facilia infectu, et lana alba cum oriatur \*geno dominante,

celeriter diffusa est. Tamen oves versicolores apparent in multis gregibus modernis, et fortasse in gregibus albi coloris exoriuntur geno \*recessivo. <sup>[4][5]</sup> Cum generaliter commercii causâ praevaleat lana alba, tamen sunt etiam, qui empturiant vellera versicoloria, praesertim ad res manu nendas. <sup>[6]</sup> Vellus ovinum valdê variatur densitate et longitudine et formâ pilorum. Ipsae oves eiusdem gregis inter se differunt genere lanarum.



**Oves *Suffolciana* sunt lanâ mediocri, facie nigrâ, coluntur etiam carnis causâ. 60% (Sexagenae centesimae) ovium, quae coluntur in Civitatibus Unitis, sunt conseminali Suffolciani.** <sup>[7]</sup>

Pro conseminalio oves inter se differunt altitudine et pondere. Earum portio crescentiae et ponderis maturitatis est proprietas \*hereditabilis, quae saepe seligitur ad nova conseminalia efficienda. <sup>[7]</sup> Oves feminae solent esse pondere, quod est inter 45 et 100 chiliogramma, pondus arietum est inter 45 et 160 chiliogramma. <sup>[8]</sup> Ovis matura est 32 dentibus. Similiter ac in aliis animalibus mammalibus ruminantibus, dentes frontales mandibulae mordent duram laminam dentis expertem maxillae insitam. Ovis his dentibus frontalibus utitur ad herbas decerpandas, postea dentibus posterioribus illas molit, antequam degluttit. Animalia ruminantia sunt octo dentibus frontalibus humilibus, sed docti inter se dissentunt, utrum hi dentes sint octo incisivi an sex incisivi et duo canini, qui sunt

formâ incisivorum. Itaque formula dentalis ovium est aut I:0/4 C:0/0 P:3/3 M:3/3 aut: I:0/3 C:0/1 P:3/3 M:3/3.<sup>[9]</sup> Dentibus frontalibus “mordentibus” et posterioribus dentibus “molentibus” interest magna lacuna dentium expers.

Aetas ovium prioribus vitae annis computari potest numero dentium frontalium, quia quotannis in locum binorum dentium lacteorum supponitur par dentium adulorum, ita, ut quattuor annis transactis adsint octo dentes adulti, i.e. numerus dentium adulorum completus. Dentes frontales postea ab ove senescente gradatim amittuntur; quo fit, ut ovis difficilis se nutriat minusque valeat. Itaque ovis domestica, cum habeat quattuor annos, incipit senescere; mori solet inter decimum et duodecimum annum aetatis suae, quamquam nonnullae oves annum assequuntur vicesimum.<sup>[3][10][11]</sup>

Cum oves sint auribus acribus, strepitum non facile patiuntur.<sup>[12]</sup> Eadem animalia horizontalibus pupillis sunt rimatis et visu periphero excellenti; campis visualibus, qui sunt graduum ferê 270 vel 320, instructae cum sint, oves post se conspicere possunt capitibus non versis.<sup>[6][13]</sup> Tamen oves profunditatem male percipiunt; itaque interdum fit, ut oves umbris et humi declivitatibus stupefiant. Generaliter oves student se movêre ex tenebris in loca bene illuminata,<sup>[14]</sup> et si sunt perturbatae, malunt movêri adverso colle quam secundo. Oves sunt etiam olfactu excellenti, et habent, similiter ac omnes bestiae sui generis, glandulas olfactorias, quae sitae sunt ante oculos suos interque pedum digitos. Finis harum glandularum est incertus,<sup>[15]</sup> sed illae faciales fortasse spectant ad mores procreandi.<sup>[7]</sup> Glandulae pedum fortasse etiam spectant ad procreationem,<sup>[7]</sup> sed ab investigatoribus allati sunt alii quoque fines, velut secretio cuiusdam purgamenti aut signum olfactorium, quo fiat, ut ovis amissa inveniat gregem suum.<sup>[15]</sup>

Oves proximê affines sunt capris; ambo animalia pertinent ad subfamiliam *Caprinarum*. Tamen cum ovis sit alius speciei ac capra, hybridae earum sunt rarae et semper infériles. Hybrida ovis feminae et hirci (i.e. capri) ne confundatur cum chimaera genetica, quae Anglicê appellatur “geep”, Theodiscê “Schiege”. Caprae aliter ac oves sunt ârunco (PLIN.nat.8,203 i.e. barba hircorum) et labio inferiore diffisso. Caudae ovium dependent, etiamsi sunt breves aut recisae, cum caudae caprarum breves sint erectae. Conseminalia ovium saepe naturâ sunt cornuum expertes (aut in utroque sexu aut in feminino tantum), cum caprae naturâ cornuum expertes sint rarae (sed multae sunt artificialiter cornubus privatae). Mares earum specierum eo inter se differunt, quod hirci tempore admissurae odore sunt acri et singulari, cum arietes non oleant.<sup>[11]</sup>

## 1.1 Conseminia ovium



Qualitates ovium ab arbitris probantur secundum normam conseminii. Pedes posteriores solitâ methodo retinentur.

Ovis domestica adhibetur ad fines multos, et plura quam 200 conseminia ovium, quae nunc exstant, creata sunt ad hos fines diversos assequendos.<sup>[3][16]</sup> Quidam auctores indicant existare milia aut etiam plura conseminia ovium, sed hi numeri non possunt demonstrari veri esse.<sup>[6][11]</sup> Ferê omnia conseminia ovium optimê apta sunt ad efficiendam rem homini utilem: lanam, carnem, lac, pellem, aut duas res utiles in conseminio duorum finium. Aliae qualitates, quibus oves distinguuntur, sunt color faciei (generaliter albus aut niger), longitudine caudae, praesentia aut defectus cornuum, regio, ad quam incolendam conseminium ovium est effectum. Qualitas autem postrema imprimis magni fit in Britanniâ, ubi conseminia describuntur terrae superioris (collium montiumve) et terrae inferioris.<sup>[14]</sup> Praeterea peculiaritas ovium est cauda pinguis; oves tali caudâ instructae, quales oves duorum finium saepius inveniuntur in Africâ et Asiâ, intra et circa caudam habent maiores copias pinguedinis depositas quam alia ovium conseminia. Conseminia etiam in varias classes distribuuntur pro aptitudine proli propagandae. Generaliter oves dicuntur esse aut conseminii feminini ("ewe breeds") aut conseminii masculini ("ram breeds"). Conseminia feminina sunt vivacitate et bonis habitatibus prolem propagandi et educandi – eadem supponi possunt in locum conseminiorum

femininorum, quae iam exstant in grege. E contrario conseminia masculina seliguntur ad rapidam crescentiam et corpus carnosum efficiendum et commiscentur cum conseminiis femininis, ut procreent agnos carnosos. Conseminia terrae inferioris et superioris etiam hac ratione commiscentur, cum vivacibus conseminiis montanis commiscentur maiora, lentē crescentia conseminia masculina terrae inferioris, ut procreent conseminia feminina, quae appellantur *mules*, et quae deinde commisceri possunt cum masculinis carnosiis, ut procreentur agni primae qualitatis mercatoriae.<sup>[14]</sup> At multa conseminia, praesertim rara et primitiva, ad nullam certam categoriam spectant.



„*Barbados Blackbelly*“ est conseminium ovium pilosum originis Caribeanae.

Conseminia ovium distinguuntur genere lanae. Conseminia, quae habent lanam subtilissimam atque densissimam, praefreruntur ad textilia fabricanda. Pleraque eorum derivata sunt ab ove **conseminii Meriniani**, quod dominatur in globali industriâ ovinâ. Hoc conseminium ovium primum omnium a.1307 commemoratur in pactione mercatoriâ, quae spectavit ad 29 saccos lanae huius generis, quod in Tunesiâ sibi comparaverat *Usodimare* familia mercatorum Genuensis (verba pactionis originaliter Latinae fuerunt haec: *lana que appellatur merinus*). **Conseminia Downiana** habent lanam extremitatibus intersitam, celeriter crescunt, sunt conseminia masculina, faciebus nigris.<sup>[17]</sup> Nonnulla conseminia lanae mediae maiora duorumque finium, quale est **Corriedaleanum**, ad greges magni proventûs commercialis efficiendos creata sunt ex conseminiis lanae longae et subtilis inter se commixtis.

Conseminia lanae longae sunt maxima omnium ovium, lentē crescentia. Oves lanae longae maximē aestimantur ad aliorum conseminiorum ovinorum qualitates meliores reddendas. Ut exemplum afferamus: Americanum conseminium **Columbianum** eo effectum est, quod inter se commixta sunt arietes **Lincolniani** (conseminium lanae longae) cum ovibus feminis **Rambouilletianis**, quae sunt lanā subtili.

**Lana ovium crassa** aut tapetaria est mediocris longitudinis et peculiaris crassitudinis. Conseminia, quae more tradito adhibentur ad lanam tapetariam efficiendam, sunt magnae variabilitatis, sed talis lana semper eo excellit, quod etiam usu frequentissimo non collabitur (ut fit de lanis subtilioribus). At quia nunc lana qualitatis tapetariae minus requiritur, nonnulli cultores ovium huius typi conantur ūti nonnullis conseminiis huiusmodi ad fines alios. Aliae oves lanae crassae semper praecipuē colebantur carnis causā.<sup>[18]</sup>

Minor classis ovium complectitur **conseminia lactaria**. Conseminia autem duorum finium, quae imprimis sunt oves carnariae aut lanariae, saepe ratione secundariā adhibentur ad lac accipiendum, sed pauca sunt conseminia, quae praecipuē coluntur lactis causā. Tales oves fabricant plus lactis et sunt lactatione diuturniore.<sup>[19]</sup> Oves lactariae ab aliis ovibus differunt portionibus pinguaminum et proteinorum, sed sunt eādem portione sacchari lactosi.<sup>[20]</sup>

Denique afferenda sunt **conseminia ovium pellitarum sive pilosarum**, quibus lana omnino deest. Oves pilosae similes sunt ovibus, quae domesticatae erant, antequam conseminia sunt creata lanosa, et coluntur ad carnem et pelles accipientias. Nonnulla conseminia ovium pilosarum moderna, velut **Dorperianum**, effecta sunt conseminiis lanosis et pilosis inter se commixtis. Fabricatoribus carnis et coriorum cultura ovium pilosarum est vilior, quia eaedem non sunt tondendae.<sup>[18]</sup> Praeterea oves pilosae melius resistunt parasitis et tempestati fervidae.<sup>[11]</sup>

Agriculturā macro-oeconomica exortā et numero minorum praediorum deminuto periculum est, ne multa conseminia ovina extinguantur. Britannica societas rara conseminia conservandi (*Rare Breeds Survival Trust*) enumerat 22 conseminia ovium nativa non iam plures complecti oves quam terna milia (3000) et similis societas Americana (*American Livestock Breeds Company*) dicit 14 conseminia ovium pauciores complecti oves quam dena milia (10.000)..<sup>[21][22][23]</sup> Cum praeferantur conseminia, quae rapidē crescant et sint proprietatibus uniformibus, conseminia more tradito culto, quae sunt heredii multiplicioris, magis magisque rarescunt.<sup>[18]</sup> Nonnulla eorum remanent studiis organisationum

conservatricum et oviculorum privatorum, qui dediti sunt certis conseminiis colendo conservandis.

## 2. Nutritio ovium



*Ovis grama depascens.*


Oves sunt animalia mammalia exclusivē herbivora, i.e. nihil vorant nisi plantas. Sicut omnia animalia ruminantia, oves instructae sunt intricato systemate digestivo, quod compositum est quattuor stomachis, quibus cellulosum stipitibus, foliis, folliculis contentum deponunt in carbohydrates simpliciores. Ovibus depascentibus plantae masticando formantur in bolum, qui deinde delabitur in stomachum primum, quod appellatur **rumen**. Quod est organum volumine 19 vel 38 litrarum, in quo nutrimentum fermentatur ratione symbioticā, quae est inter bacteria et protozoa et saccharomycêtes, qui sunt in florâ intestinali.<sup>[24]</sup> Bolus autem

certis temporis spatiis regurgitatur in rostrum, ut ibi iterum masticetur et salivâ madefiat.<sup>[24]</sup> Ruminatio exorta est adaptatione, qua animalia mâne celerius possint depascere, et tempore diei reliquo diligentius masticare et digerere.<sup>[25]</sup> Consentaneum est, ut tempus depascendi deminuatur, quia ovis depascens caput saepe declinans praedatoribus imminentibus magis periclitatur quam ruminans.<sup>[11]</sup>

Inter ruminatem rumine fabricatur gasum, quod est expellendum; hoc organum si disturbatur, velut nutrimento repente mutato, effici possunt morbi fatales, qualis est inflatio. Nutrimentum in rumine fermentatum delabitur in **reticulum** et **omâsum**; nutrimenta specialia, qualia sunt grana, interdum rumen omnino praetereunt. Tribus stomachis prioribus pervasis nutrimentum movetur in **abomâsum**, ut finaliter digeratur, antequam in intestinis pertractatur. Abomâsum est unicus ex quattuor stomachis ovinis, qui est verê analogus stomacho humano, quia in nullo alio nutrimenta absorbentur ad energiam pariendam. Itaque abomasum interdum appellatur “verus stomachus”.<sup>[26]</sup>

Oves sequuntur ordinem agendi diurnum, depascunt a sole oriente ad occidentem, interdum sistentes ad quiescendum et ruminandum. Nutrimenta ovibus optima non sunt grama caespiti similia, sed mixtura graminum, leguminum, herbarum.<sup>[27]</sup> Genera regionum, ubi oves coluntur, valdê sunt varia, aut pascua, quae sunt sata et consulto meliora facta, aut regiones asperae et nativae. Inter plantas, quae ovibus nocent (i.e. iisdem sunt venena), sunt quercus, acer, lycopersicum, taxus, rhabarbarum, pomum terrestre, rhododendron.<sup>[28]</sup>

Oves sunt bestiae herbivorae grama depascentes, aliter ac attondentes bestiae, velut caprae et cervi, quae praeferant folia maiora. Quia habent facies angustiores quam boves, oves iisdem celerius pascua possunt depascere.<sup>[11]</sup> Hac de causâ multi opiliones utuntur ratione intensivae pastionis rotatoria, qua grex ovium ducitur per multa pascua, ut plantis concedatur tempus recreandi.<sup>[11][14]</sup> Mirum est, quod oves possunt et efficere et impedire diffusionem specierum plantarum invadentium. Eo quod oves statum plantarum naturalem perturbant, viam patefacere possunt novis plantarum speciebus invadentibus. Tamen oves etiam plantas invadentes, quales sunt *Bromus tectorum*, *Euphorbia esula*, *Pueraria lobata*, *Centaurea maculosa*, libentius devorant quam



**Systema ruminandi, quo oves sunt instructae.**

species nativas, qualis est *Artemisia tridentata*; quo fit, ut oves depascentes parcant herbis conservandis.<sup>[29]</sup>

Quidam scientiae in Comitatu Imperiali (California) investigaverint, quantum in agris *Medicaginis sativae* ad herbas malas delendas valerent et oves depascentes et venena herbicidia. Tribus experimentis factis emanavit agnos depascentes tantum valere ad herbas malas deminuendas quantum venena herbicidia. Entomologi (i.e. investigatores insectorum) etiam comparaverunt effectūs, quos in agris *Medicaginis sativae* ad numerum insectorum deminuendum haberent agni depascentes et venena insecticida. His in experimentis agni tam efficaciter insectorum numerum deminuerunt quam venena insecticida. <sup>[30]</sup>

Inter menses hiemales oves saepe nutriuntur feno. Pro genere consemimii oves melius aut peius valere, si nullo alio modo nutriuntur nisi depascendo, sed omnes oves hōc modo possunt vivere.<sup>[18]</sup> Nonnullae oves etiam nutriuntur mineralibus, aut alii nutrimento admixtis aut lapidibus salitis allambendis.

Scilicet continuum fontem aquae potabilis ovibus omnino necessarium esse. Quantitas aquae, qua oves egent, varia est pro anni tempore et genere et qualitate nutrimenti, quod illae consumunt.<sup>[31]</sup> Si oves nutriuntur

magnis copiis plantarum recentium et fiunt praecipitationes (rore inclusō, nam oves depascunt primā luce), oves egent minore copiā aquae. At si ovibus nutrimenta deficiunt aut oves nihil devorant nisi fenum, egent aquae copiā maiore. Oves egent aquā purā, et solent recusare, ne bibant aquam spumā aut algis obtectam.<sup>[31]</sup>

Oves sunt unum genus animalium domesticorum carnis causā colendorum, quod nondum solet coli – ut aiunt pecudum cultores – intensivā cibatione animalium stabulariā (CAFO).<sup>[6]</sup> Licet nonnulli pecuarii postulent, ut pecudes colantur ratione magis naturali, tamen magna portio boum et porcorum et volatilium adhuc coluntur condicionibus stabulariis.<sup>[7]</sup> E contrario paucae tantum oves regulariter nutriuntur granis maioris concentrationis et in stabulis coluntur. Praecipuē in terris \*industrialibus pecuarii agnos venalios antequam mactant, sagināt intra cancellos (*Angl. feedlots*).<sup>[11]</sup> Multi ovicultores oves feminas et arietes inter oestrū cottidiē cibant portione granorum additicia, ut fertilitas augeatur.<sup>[32]</sup> Oves feminae intra gestationem etiam cibantur portione granorum additiciā, ut augeantur pondera ovium neonatarum. Nam 70% (septuagenae centesimae partes) crescentiae agni fiunt gestationis quinque aut sex septimanis finalibus.<sup>[6]</sup> Alioquin solae oves lactantes et praecipuē oves infirmae atque senescentes semper granis cibantur.<sup>[6][18]</sup> Nutrimenta ovibus destinata necesse est specialiter praeparentur, quia pabula plerorumque pecudum, velut boum, volatilium, porcorum, necnon caprarum nonnullarum, continent tantas copias cupri, quantis oves pereant.<sup>[6]</sup> Idem periculum ovibus imminet supplementis mineralium, qualia sunt electaria salina.<sup>[33]</sup>

**ALTERA PARS SEQUETUR !**

**PROBATOLOGIAE  
PARTEM PRIMAM  
LATINE REDDIDIT**



**LEO LATINUS  
NICOLAUS GROSS**

## **VOCABULA DOMESTICA (III)**

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinē redditā

**CORBEIL,Jean-Claude/ARCHAMBAULT,Ariane:** **PONS** Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum alteram, quae spectant ad coquinam (VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas alteram partem coquinariam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (**VOCABULA DOMESTICA III = VII. DOMESTICA III**).

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

| p.250<br><b>KONSTRUKTION<br/>EINES HAUSES</b> | STRUCTURE OF A<br>HOUSE | STRUCTURE<br>D'UNE MAISON             | ESTRUCTURA<br>DE UNA CASA   | STRUTTURA<br>DI UNA CASA | <b>STRUCTURA<br/>DOMUS</b>  |
|---|-------------------------|---------------------------------------|-----------------------------|--------------------------|---|
| <b>Haupträume</b>                             | main rooms              | principales<br>pièces d'une<br>maison | habitaciones<br>principales | stanze<br>principali     | <b>conclāvia<br/>prīcipālia</b>   |
| <b>Ansicht</b>                                | elevation               | élévation                             | alzado                      | prospetto                | <b>cōspectus,<br/>-ūs m.</b>  |
| <b>Zwischengeschoß</b>                        | mezzanine floor         | mezzanine                             | entresuelo                  | piano<br>mansardato      | <b>tabulātum<br/>interpositum</b>   |
| <b>Erster Stock</b>                           | first floor             | étage                                 | planta alta                 | primo piano              | <b>tabulātum<br/>prīnum</b>   |
| <b>Erdgeschoß</b>                             | ground floor            | rez-de-<br>chaussée                   | planta baja                 | pianterreno              | <b>pedeplānum,<br/>-ī n.</b>  |
| <b>Keller</b>                                 | basement                | sous-sol                              | semisótano                  | seminterrato             | <b>hypogēum, -ī n.</b>  |
| <b>Erdgeschoß</b>                             | ground floor            | rez-de-<br>chaussée                   | planta baja                 | pianterreno              | <b>pedeplānum,<br/>-ī n.</b>  |
| <b>Glasdach</b>                               | glass roof              | verrière                              | techo de vidrio             | tetto a vetro            | <b>tēctum vitreum</b>   |
| <b>Terrassentür</b>                           | patio door              | porte-fenêtre                         | puerta trasera              | porta del patio          | <b>iānua xystī</b>  |
| <b>Küche</b>                                  | kitchen                 | cuisine                               | cocina                      | cucina                   | <b>coquīna, -ae f.</b>  |
| <b>Wohnküche</b>                              | kitchen-diner           | coin-repas                            | office                      | tinello                  | <b>coquīna<br/>cēnātōria</b>  |
| <b>Speisekammer</b>                           | pantry                  | garde-manger                          | despensa                    | dispensa                 | <b>cella penāria;<br/>prōmptuārium,<br/>-ī n.</b>                                   |
| <b>Esszimmer</b>                              | dining room             | salle à manger                        | comedor                     | sala da pranzo           | <b>cēnātiō, -ōnis f.;<br/>cēnāculum, -ī n.</b>                                      |
| <b>Kamin</b>                                  | fireplace               | cheminée                              | chiminea                    | camino                   | <b>camīnus, -ī m.</b>   |
| <b>Wohnzimmer</b>                             | living room             | salon                                 | sala de estar/<br>salón     | soggiorno                | <b>mediānum, -ī n.</b>  |
| <b>Eingangshalle</b>                          | entrance hall           | hall d'entrée                         | recibidor                   | sala<br>ingresso         | <b>oecus<br/>ingressiōnis</b>   |
| <b>Haupteingang</b>                           | main entrance           | entrée principale                     | entrada<br>principal        | entrata<br>principale    | <b>introitus<br/>prīcipālis</b>   |
| <b>Treppe</b>                                 | steps                   | perron                                | escaleras                   | scala                    | <b>scālae,-ārum f.pl.</b>   |
| <b>Garderobe</b>                              | cloakroom               | vestiaire                             | guardarropa                 | guardaroba               | <b>vestiārium, -ī n.</b>  |
| <b>Diele</b>                                  | hall                    | vestibule                             | vestíbulo                   | ingresso                 | <b>vestibulum, -ī n.</b>  |
| <b>Treppe</b>                                 | stairs                  | escalier                              | escaleras                   | scala                    | <b>scālae,-ārum f.pl.</b>   |
| <b>Geländer</b>                               | banister                | rampe                                 | barandilla                  | balaustra                | <b>epimēdion, -ī n.<br/>[CIL X 5192]</b>  |
| <b>WC</b>                                     | toilet                  | w.-c.                                 | aseo                        | stanza<br>bagna          | <b>lavātrīna,-ae f.<br/>[VARROling.9,68;<br/>POMPON.com.53];<br/>lātrīna,-ae f.</b> |

|  |                                   |  |  |   |   |
|--|-----------------------------------|--|--|---|---|
|  |                                   |  |  |   | [PLAUT.Curc.580;<br>LUCIL.253;400;<br>COLUM.poet.10,85;<br>APUL.met.1,17;<br>VULG.4,regg.10,27];<br><b>sēcessus</b> , -ūs m.<br>[VULG.Matth.15,17;<br>Marc.7,19; HIERON.in<br>epist. Ad Tit.2,11] |
| <b>Waschküche</b>                              | laundry room                      | buanderie                              | lavandería                                 | lavanderia  | <b>conclāve</b><br><b>lautōrium</b>   |
| <b>Wohnzimmer</b>                              | sitting room                      | salle de séjour                        | sala                                       | salotto   | <b>mediānum</b> , -ī n.   |
| <b>p.251<br/>Zwischengeschoß</b>               | mezzanine floor                   | mezzanine                              | entresuelo                                 | piano mansardato                                  | <b>tabulātum</b><br><b>interpositum</b>   |
| <b>Arbeitszimmer</b>                           | study                             | bureau                                 | despacho                                   | studio  | <b>studiolum</b> , -ī n.  |
| <b>Geländer</b>                                | railing                           | garde-fou                              | barandilla                                 | ringhiera   | <b>epimēdion</b> , -ī n.<br>[CIL X 5192]  |
| <b>Großes<br/>Schlafzimmer,<br/>Giebeldach</b> | master bedroom,<br>cathedral roof | chambre principale,<br>toit cathédrale | dormitorio principal,<br>techo a dos aguas | camera da letto principale, tetto a due spioventi | <b>conclāve</b><br><b>dormītōrium</b><br><b>prīcipāle</b> ,<br><b>tēctum</b><br><b>cathēdrāle</b>   |
| <b>Treppenhaus-<br/>Oberlicht</b>              | stairwell skylight                | lanterneau de la cage d'escalier       | lucernario del hueco de las escalera       | lucernario della tromba delle scale               | * <b>phōtagōgus</b> (f.)<br><b>scālāris</b><br>[cfr LIDDELL1968, s.v.<br>φωταγωγέω:...<br>ή φωταγωγός (sc.<br>Θυρίς) opening for<br>light,window, Luc.Sym<br>p.20, Dom.6]                         |
| <b>Badezimmer-<br/>Oberlicht</b>               | bathroom skylight                 | lanterneau de la salle de bains        | lucernario del baño                        | lucernario del bagno                              | * <b>phōtagōgus</b><br><b>conclāvis</b><br><b>balneāris</b>   |
| <b>Erster Stock</b>                            | first floor                       | étage                                  | planta alta                                | primo piano                                       | <b>tabulātum</b><br><b>prīmum</b>   |
| <b>Schlafzimmer</b>                            | bedroom                           | chambre                                | dormitorio                                 | camera da letto                                   | <b>conclāve</b><br><b>dormītōrium</b>   |
| <b>Kleiderschrank</b>                          | wardrobe                          | garde-robe                             | guardarropa                                | cabina armadio                                    | <b>armārium</b><br><b>(vestiārium)</b><br>[PLAUT.Epid.308]  |
| <b>Badewanne</b>                               | bath                              | baignoire                              | bañera                                     | vasca<br>bagno                                    | <b>pyelus</b> , -ī m.<br>[PLAUT.Stich.4,1,64];<br><b>lābrum</b> , -ī n.<br>[CIC.fam.14,20];<br><b>soliūm</b> , -ī n.<br>[CELS.1,3,4]  |
| <b>Ankleideraum</b>                            | walk-in wardrobe                  | penderie                               | cabina armario                             | cabina armadio                                    | <b>apodytērium</b> , -ī   |

|   |                                   |  |   |  |   |
|---|-----------------------------------|--|---|--|---|
|   |                                   |  |   |  | n.<br>[PLIN.epist.5,6,<br>25]   |
| <b>Bad</b>                              | bathroom                          | salle de bains                         | cuarto de baño                          | stanza da bagno                                      | <b>balneum, -ī n.</b><br>[CIC.Deiot.21]   |
| <b>WC</b>                               | toilet                            | inodoro                                | inodoro                                 | water  | <b>sella ēlūtōria</b>   |
| <b>Treppe zum Zwischengeschoß</b>       | mezzanine stairs                  | escalier de la mezzanine               | escalera del entresuelo                 | scala di accesso al piano mansardato                 | <b>scālae tabulātī intermedīi</b>   |
| <b>Großes Schlafzimmer, Giebeldecke</b> | master bedroom, cathedral ceiling | chambre principale, plafond cathédrale | dormitorio principal, techo a dos aguas | camera da letto principale, soffitto a due spioventi | <b>conclāve dormītōrium prīcipāle, lacūnar cathedrāle</b>   |
| <b>Balkontür</b>                        | balcony window                    | porte-fenêtre                          | puerta ventana                          | porta-finestra                                       | <b>fenestra maeniānī</b><br>[2.VAL.MAX.9,12,7 ]   |
| <b>Balkon</b>                           | balcony                           | balcon                                 | balcón                                  | stanza da bagno                                      | <b>podium,-ī n.</b><br>[SUET.Nero 12,2 ];<br><b>maeniānum, -ī n.</b><br>[VAL.MAX.9,12,7 ]   |
| <b>Fenster</b>                          | window                            | fenêtre                                | ventana                                 | finestra   | <b>fenestra, -ae f.</b>   |
| <b>Dusche</b>                           | shower                            | douche                                 | ducha                                   | doccia   | <b>cella pluvia;</b><br>(instrumentum)<br><b>tubulus</b><br><b>mammātus</b> [SL 33;<br>2.VITR.7,4,2];<br>(actio)<br><b>lavātio pluvia</b><br>[SL 33 ] |
| <b>Bad</b>                              | bathroom                          | salle de bains                         | cuarto de baño                          | stanza da bagno                                      | <b>balneum, -ī n.</b><br>[CIC.Deiot.21]   |
| <b>Treppenhaus</b>                      | stairwell                         | cage d'escalier                        | hueco de la escalera                    | tromba delle scale                                   | <b>scālāre, -is n.</b><br>[CIL 6,10333]   |
| <b>Geländer</b>                         | railing                           | rampe                                  | barandilla                              | balaustre  | <b>epimēdion, -ī n.</b><br>[CIL X 5192]   |
| <b>Treppenabsatz, Treppenpodest</b>     | landing                           | palier                                 | rellano de la escalera                  | pianerottolo   | <b>podium scālārum</b>  |
| <b>begehbarer Kleiderschrank</b>        | walk-in wardrobe                  | garde-robe                             | entrada                                 | cabina armadio                                       | <b>armārium vestiārium intrābile</b><br>[3.LIV.22,19,12]  |
| <b>Schlafzimmer</b>                     | bedroom                           | chambre                                | dormitorio                              | camera da letto                                      | <b>cubiculum, -ī n.;</b><br><b>conclāve dormītōrium</b>   |
| <b>p.252 Rahmen</b>                     | timber frame                      | charpente                              | armazón                                 | struttura  | <b>margō</b>  |

|              |        |         |         |                                   | <b>strūctūrālis</b>   |
|--------------|--------|---------|---------|-----------------------------------|---|
| <b>Sturz</b> | lintel | linteau | cabezal | traversa<br>superiore<br>finestra | <b>trabs līmitāris</b><br>[2.VARRO ling.5,21;<br>DAUZAT438:<br>"linteau (lintel, XII s.,<br>seuil; par ext., traverse<br>supérieure d'une porte),<br>var. de L'anc. Fr. lintier,<br><b>du lat. vulg.*limitaris</b><br>(croisement de liminaris,<br>V. LIMINAIRE, avec<br>limes, -itis, V. LIMITE),<br>avec changem. De suff." ] |

**Haec vocabula domestica  
excerpsit et in Latinum convertit**  
**Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA (IV)**

## ECHUS VOCES ET EPISTULAE

**FORUM CLASSICUM 1 / 2010, p.79: "Epistulae Leoninae"**

[http://www.altphilologenverband.de/index.php?  
option=com\\_wrapper&view=wrapper&Itemid=40](http://www.altphilologenverband.de/index.php?option=com_wrapper&view=wrapper&Itemid=40)

**Varnerius Suerbaum Germanus Monacensis Professor philologiae classicae emeritus**

Gratae epistulae tuae mihi sunt, in saecula saeculorum.

Werner Suerbaum, Monacensis

**Gerson Schade palaeophilologus Germanus Berolinensis**

gratias agam quam maximas. de Udalrici (sc. De Wilamowitz-Moellendorff) vita non cottidie agitur Latine, et quidquid fit rariter, magis delectat. s.d.p.

**Herimannus Italus Novocomiensis**

Herimannus Nicolao sodalibusque Albino praesertim salutem dicit. Ego scripta tua die XXIX mensis Maii, Nicolae, tantum accepi. Nullo tamen modo possim tam longa, tam varia litterarum magnitudine, tot tantisque imaginibus praedita scripta in Ephemeride inserere: minima enim de rebus computatoriis cognovi. Albinum tantum puto talia inserere posse. Cui cum ceteris imo ex corde salutem dico. Novocomi, Kalendis Junii MMIX.

**Ioannes Carolus Rossi Italus architectus Mediolanensis**

Semper, Nicolae, gratae epistulae tuae afferuntur, ex quibus non modo tuum erga latinitatem studium cognoscimus, sed occasionem quoque capimus animos erigendi, excolandi, incitandi. Si nos pancratice valere jubes, nos te basilice, qui basilicam quandam exstruxisti, in qua liceat eruditis suaviter conversari. Respondeant optatis tuis quaecumque fors hoc anno millennii tertio tibi tuisque tulerit.

Joannes Carolus Rossi Nicolao Gross s.pl.d. Etsi multo plures, quam aequo animo numerentur, sunt anni elapsi, ex quo inter nos epistulas dedimus, occasionem nactus a situ, quem tam belle condidisti in reticulo informatico, has tibi litterulas scribo lubenter. Gaudeo quod provinciam, quam adolescentulus sortitus es, adhuc occupas et gubernas: pauci enim supersunt, inter doctores academiarum, qui consuetudinem dicendi scribendique latine retineant, immo vero plerique omnino sunt aversi ab usu ac grammaticae subtilitatibus inhiant, illud videlicet oblii Quintiliani monentis plus usum sine doctrina, quam citra usum doctrinam valere. At multo pauciores sunt qui litteras latinas novis incrementis augeri audeant, ut ipse acriter, quantum quidem video, meritoque, quantum puto, soles. Macte virtute Nicolae! Quod ne hilum quidem a pristino incepto deerrasti laudo et probo! Velim, si fas est, plura de te rescire: ubinam gentium vitam degas, quot filii auctus sies, quae studia colas. Gratum etiam erit si ad me epistolas leoninas statis intervallis miseris. Vale multum. Tuus Joannes Carolus

**Massimo Scorsone Italus**

Ego quoque, toto terrarum orbe Saturnalium sollemnitates concelebrante, vota tua, Nicolae optime, omnibus valetudinis, felicitatisque plurimis, et

quam candidissimis quidem, laetam per occasionem ex corde, vereque rependo. Et Ianus renovato iam adveniens sole tibi tuisque eat, ut eius dies singillatim sint albo notandi lapillo. Cura ut pancratice valeas! Maximus Scorsone.

### **Guntherus Germanus Ulmensis**

Care Nicolae, duo epistolia electronica a te misisti accepimus, quibus tibi magnam gratiam habemus. Nunc scimus te nuntia de rebus variis nobis utilia iucundaque denuo mittere posse. Caecitas corticalis certe non saepe observatur, etiamsi in libris doctis affertur; tamen gratias tibi ago, ut me certiore fecisti! Gerlinda iuvat ei nunc caput novum libri Krabat tractandum esse. - Cura valetudinem tuam diligenter, domi et in schola! Semper vale! Guntherus.

Care Nicolae, Gerlinda Guntherusque tibi salutem plurimam dicunt et tibi favere pergunt! Pergaudemus te iterumque ad studium linguae Latinae in scholis academicis universitatis ulmensis nos invitare. Te oremus, ut nos scribas quando colloquia incipere voles. Imprimis gratiam agimus pro epistulis tuis, quas semper magna laetitia accepimus et accipemus. Nam permultum discere possumus in legendo epistulas(??) et in tradendo(??) omnia in linguam theodiscam. Speramus te et uxorem tuam valere neque animi neque corporis laboribus defatigari. Valete pancratice!

Care Nicolae, gratias tibi agimus pro epistula Leonina tricesima tertia. Speramus te et

uxorem tuam dies paschales optime degisse. Delectamur brevi te videre ut multum discere possemus studiis linguae Latinae et linguae Graecae. Decrevimus Gerlinda medio mensis Julii iter ad Amoeneburgem Septimanae Latinae causa facere, dum ego autem canes nostras, quae Hella et Enni appellantur, domu et in horto nostro custodiam.

Medullitus te salutat Guntherus.

### **Stanislaus Tekieli Polonus Varsaviensis**

Stanislaus Nicolao spd. Domum reductus statim posui inter MISCELLANEA sermonem Horsti Koehler, imagine eius ornata. Cum Epistula Leonina XXIX (quam maximo cum gaudio accepi) res est difficilior. Ego nullo modo eam, symbolam scilicet tam graphice complicatam, in pagina "Ephemeridis" ponere scio, at Albinus noster... iam a tempore ante Nativitatem ad epistulas ei missas non respondet. Nescio quid plus dicam... Optime valeas!

Stanislaus Nicolao de Slovaquia salutem mittit. Epistulam tuam statim Albino tradidi, responsum adhuc accepi nullum. Ego ipse possim (cum domum repetam die 3 Ian.) epistulam tuam ut symbolam communem (sine scilicet ornamentis graphicis, praeter photographema Koehleris) in quadam parte (rubrica) "Ephemeridis" ponere ('Politica'?). Aliter exspectandum nobis sit respondum Albini. Optime valeas!

Stanislaus Nicolao spd. Gratias tibi permagnas ago pro nova Epistula Leonina. Opus vero ingens pergis!!! Nescio, quomodo Albinus noster se habeat his diebus, utrum scilicet occupatus sit an non, fortasse cum familia itineratur. Spero nihilominus eum mox positurum scripta tua in pagina "Ephemeridis" ita ut ea ponenda velis. De monitione Googleana nescio quid tibi dicam. Albinus a me de hac re rogatus respondit ante circiter mensem periculum nullum re vera esse paginam nostram

adeundi, nisi ab ipsa alias paginas petas. Promisit se has difficultates expugnare conaturum usque finem aestatis. Sed, ut intellego, res difficillima factu est consumetque multas horas laborandi. Etiam ego valde indignor, quod per machinam scrutatoriam maximi in mundo momenti "Ephemeris" inveni nequit, sed... quid faciam? Si potes, scribe mihi paucas lineas de tuis occupationibus hodiernis. Fortasse seminario ALF Ratisbonensi adesse consilia habes? Optime valeas, opus tuum hercle permagnum pergas! Fortasse venient nobis tempora meliora.

Stanislaus Nicolao spd. Non ego id feci, amice, solum inveni Albinum iam EL XXVI in pagina posuisse. Statim rogatiunculam tuam ei transmittam; ego pro dolor tales "chirurgias" interretiales perficere nequeo. V.

Stanislaus Leoni Latino spd. Optime placet Graculus tuus (*i.e. Kafka Latinus adn. ed.*). Spero sequentes partes eius mox venturas. Si de hac re... timeo te desiisse Latine reddere fabulam criminalem, quae mihi tantopere placuit; apparebuntne novae eius partes? De sorte Albini nihil scio. Puto eum aliquibus laboribus difficultatibusve laborare, res Ephemeridianas uno altero aut tertio quoque die curare. Tunc autem SEMPER omnia in pagina ponenda ponit. Noli ergo sollicitari at XXVII epistulam iam fortasse compara! Optime valeas!

Stanislaus Nicolao spd. Iam stat in pagina 26. Epistula Leonina! De rogatione mea de "Memento mori"... putavi id tantum initium fabulae esse! Nunc inspexi et re vera rem finitam comperi. Mihi fabulae detectoriae (criminales) maximi momenti videntur, nam tam viva lingua semper scripta sunt: narratio vero movetur movetque lectorem. Ego olim Latine - quoad potui - reddidi quattuor aut quinque fabulas Holmesianas, debeant adhuc servari in archivis "Ephemeridis". Oro ut ita pergas!!! Si potes, dic mihi pauca de novis fabulis etc., quas Epistulis Leoninis mox addere cupias. Optime valeas!

Stanislaus Nicolao spd. Nicolaum ergo EL XXV in pagina posuisse, ego enim nil feci (neque quid facere valerem, ut tibi explanavi). Ita ille agit: abest, dein adest taciteque laborem pergit. Puto eum nunc domi suae Catalonianae adesse. Placet mihi nomen Francisci Graculi. Quae avis etiam Polonice eodem verbo nuncupatur, littera tantum W pro Bohemica F substituta (kafka/kafka). Puto etiam linguam Kafkanam, aliquantum asceticam et, si omnino mihi licet aestimare, melodiam, optimam ut Latine (tamen non-Ciceronianice) reddatur. Sed fortasse fallor: et Latina mea et Theodisca valde claudicant. Exspecto ergo impatienter novas Epistulas Leoninas. Cura ut valeas!

Nicolaus Stanislao s.EL XXV Ephemeridi bene inseruisti! Albinus ubi nunc versatur? In Catalonia an in Francogallia? Utinam labores eius domestici bene progrediantur, ut mox restet ei tempus ad Ephemeridem adhibendum. "Metamorphosin" a Francisco Graculo (alias Kafka) scriptam studeo in Latinum convertere. Scisne Kafkam ipsum nomen suum hoc modo Latinizasse? (tsechice kafka = graculus, monedula: est avis valde intelligens (quae interdum instrumentis uti scit)). Semper vale, care Stanislae. Medullitus Te salutat Nicolaus.

Stanislaus Nicolao spd. Etiam tibi sint, care Nicolae, dies exeuntis huius septimanae recreabiles. Exspectemus ita redditum moderatoris, cuius absentiam ego quoque saepe dolenter patior. Cum tamen "Ephemeridi" denuo aderit, omnia perficienda statim perficiet. ST. PS: Impatienter expecto historiam Gregoris Samsae in Latinum

conversam! Est enim fabula iucundissima, Kafka autem scriptor (mihi saltem) omnium "hodiernorum" maximi momenti.

Nicolaus Stanislao s. Gratias plurimas, care Stanislae. Ergo exspectemus, quid facturus sit Albinus noster laboribus domesticis obrutus. Dies septimanae finales utinam Tibi sint recreabiles! Medullitus Te salutat Nicolaus.

Stanislaus Nicolao spd. Gratias tibi permagnas ago pro epistula Leonina nuper missa. Pro dolor, ego non possum eam in pagina ponere: quod possim facere tantum cum simplicibus scriptis Wordianis, nonnullis photographematis illustratis, tua autem symbola longissima et variis "efectibus" ornata mihi esse videtur. Si vis, possum id conari, sed certitudo est 98% rem a me tractatam corruptam in pagina videri. De Albino autem hisi diebus nihil scio - nuper autem quibusdam laboribus domesticis (house remodelling) affligabatur. Spero eum mox tibi responsurum epistulamque Leoninam XXV. tunc statim in pagina positurum. Tibi gratulor tam magnum laborem pergere. Optime valeas!

Stanislaus Nicolao spd. Gratias tibi maximas ago pro quinque scriptis modo a te acceptis. Heri epistulam tuam aperiens valde gavisus sum fabulam detectoriam a te translatam inveniens, quo genere fabularum valde delector. Pro dolor otium mihi omnino deerat ut totam legerem; fortasse aderit hodie, pro certo in fine septimanae. Litteras tuas statim Albino transmittam. Puto eum in itinere esse, nam mihi quoque ultimis quattuor diebus nil respondit neque scripta nova sodalium iam pridem ei missa in pagina video. Aut deest domi, puto, aut aliis nobis ignotis difficultatibus oppressus operari his diebus nequit. At deest mihi eius numerus telephonii, cursu electronico tantum communicamus. Expectandum ergo est sideris nigri (si tale est in causa) occasum:-) Rogare audeo, ut etiam, nisi moleste tibi sit, praeteritas epistulas Leoninas mihi mittas - nunc autem septem teneo, cum numerum omnium esse XXIV. Cura ut valeas!

Nicolaus Stanislao s. En habes quinque EPISTULAS LEONINAS, quas iam pridem Albino misi. Mittas Tu quoque ei, quaeso. Nescio quare non responderit. Semper vale, medullitus Te salutat Nicolaus.

Stanislaus Nicolao spd. Nihil pridem accepi praeter XXIV. epistulam Leoninam, quae in pagina nunc stat. Gratias pro hac, quam nunc mittis. Quaeso ut omnia alia mihi etiam mittas, nam libenter cauteque omnia scripta tua lego, exempla optimae Latinitatis. Cave tamen ne casu ad veterem inscriptionem meam (@osw.waw.pl) aliquid mittas, quae inscriptio iam duos annos non valet (nuntiavii tunc sodalibus, tibi quoque); sola mihi valida inscriptio est haec, qua nunc ad te scribendo utor ([stanislawtekieli@hotmail.com](mailto:stanislawtekieli@hotmail.com)). De Albino scio tantum eum magnas difficultates technicas habuisse, ut epistulam tuam Leoninam (XXIV.) in formam "Ephemeridi" aptam converteret. V.

Nicolaus Stanislao sal.pl.dic. Iam pridem Albino misi iam quinque priores EPISTULAS LEONINAS. Tune quoque hos accepisti? En addo sextam. Pancratice vale et perge mihi favere!

### **Epistulas supra oblatas collegit**

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>